



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Doctor Mellifluus S. Bernardus Magnæ Matris Cultor  
Eximius, Et Ex Ordine Sancti Benedicti Sacellanus  
Quartus. Sive Ea quæ Doctor mellifluus de laudibus  
Virginis Matris scripsit in gratiam magnæ ...**

**Bernardus <Claraevallensis>**

**Nevhsii, MDCLXXV.**

Tomus II. Ex Sermone secundo de Adventu, num. 4 et 5.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37156**

## TOMUS I.

*Ex Tomo primo Doctoris melliflui, qui continet Epistolas, nihil speciale occurrit proposito seruiens, quàm Epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses super immaculata Conceptione, quam ad finem operis certas ob causas remitto.*

## TOMUS II.

*Ex Sermone secundo de Adventu, num. 4. et 5.*

**H**X his manifestum jam arbitror, quænam sit virga de radice Jesse procedens: quis verò flos super quem requiescit Spiritus sanctus? Quoniam *Virgo Dei Genitrix Virga est, Flos Filius ejus.* Flos itaque filius virginis, flos candidus & rubicundus, electus ex millibus. *Cant. 5.* Flos in quem prospicere Angeli desiderant, flos ad cujus odorem reviviscunt mortui: & sicut ipse testatur, *flos campi est, & non horti.* Campus enim sine omni humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, non defossus sarculo, non impinguatus fimo. Sic omnino, sic virginis alvus floruit, sic inviolata, integra & casta *MARIÆ* viscera; tanquam pascua æterni virosis florem protulere, cujus pulchritudo non videat corruptionem, cujus gloria in perpetuum non marcescat. O Virgo virga sublimis, in quam sublime verticem sanctum erigis! usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum majestatis. Neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis. O verè cœlestis planta, pretiosior

tiosior cunctis, sanctior universis! O verè lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis! Deprehensa est maligne serpens, versutia tua, nudata est planè falsitas tua. Duo imposueras Creatori, mendacij, & invidiæ infamaveras eum: sed in utroque convictus es esse mentitus. Siquidem & ab initio moritur cui dixeras: *nequaquam morieris, Gen. 3. & veritas Domini manet in aeternum, Psal. 118.* Sed & nunc responde si potes, quam ei arborem, cujus arboris fructum invidere potuit, qui ne hanc quidem virgam electam & fructum sublimem negavit? Etenim qui proprio filio non pepercit, *Rom. 8.* quomodo non omnia simul cum illo donavit?

Sed jam advertistis (ni fallor) quoniam virgo regia ipsa est via per quam Salvator advenit, procedens ex ipsius utero tanquam sponsus de thalamo suo. Tenentes ergò viam studeamus & nos dilectissimi ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit: per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. *Per te accessum habeamus ad filium, ò benedicta Inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater salutis: ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas Deo grata nostra veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fecunditas gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra; tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos representa. Fac ò benedicta, per gratiam quam invenisti, per prerogativam quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti: ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoq; intercedente participes faciat nos gloriæ & beatitudinis suæ, Iesus Christus filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen.*

S. P.